

Beihet

2

S 106/107

1258 Mai Osnabrück.

[27]

106

Bruno, Bischof von Osnabrück, befundet, daß der Propst von Varlar das Haus in Updorpe, Kspl. Lengerich in Hannover, an Genannte nach Lehensrecht übertragen hat.

Bruno, Dei gratia Osnaburgensis ecclesiae episcopus, omnibus, ad quos praescriptum pvernerit, salutem in salutis auctore. Quoniam gesta rerum vetustate temporum quadam oblivionis caligine obfuscantur et nisi litterarum monumentis ad memoriam revocentur, penitus tandem emoriuntur, id circa tam praesentibus quam futuris cupimus palam facere, quod praepositus monasterii in Varlare Monasteriensis dioecesis domum in Updorpe cum suis pertinencis sitam in parochia Langerke super Wallage, quam Johannes dictus de Voss miles et quidem sui progenitores a dicto monasterio diuicius quam felicius minus iuste occuparant, asserentes eandem ad se jure hereditario pertinere, Menhardo et fratribus suis de Wilseten in parochia de Plantlunne, qui proprietatem domus praedictae ad se spectare quondam asserebant, ac Svedero filio dicti militis errore suum ac progenitorum suorum publice recognoscitibus et jus suum, si quod habere videbantur, renunciantibus ipsi Svedero ac duobus filiis, videlicet Joanni et Alardo, jure feodali porrexit; ita videlet, ut haeredes per legitimam carnis propagationem ab ipso Svedero seu a filiis suis praedictis descendentes jure praedicto

dictis bonis gaudeant, dummodo haeres pro tempore succedens dimidiam marcam usualis monetae praepositi dicti monasterii nomine iuris, quod herewede dicitur, dicta bona ab eodem recipiendo persolvat. Si autem dictus Svederus vel sui legitimi haeredes dictam domum casu quoque vendere voluerint, eandem praeposito et conventui dicti monasterii venalem, antequam alii exhibentes, pro precio, sicut ab alio emptore habere poterint, si ipsi voluerint, dimittent eidem. Quod si praepositus et monasterium saepedictum domum praefatam emere noluerint vel non poterint, extunc memorati haeredes ipsam domum libere vendere ac ad alias poterunt transferere personas. Hoc quoque insuper adiectum est, quod si quis praefatam domum emerit, recepturus eam de manu praepositi Lohn (!) saepedicti quinque marcas usualis monetae secundum consuetudinem feoda recipientium persolvet eidem. Acta sunt haec Osenbrugge anno Domini M^oCC^o quinquagesimo octavo, mense Maio, praesentibus testibus his subscriptis, quorum haec sunt nomina: Baldwinus maioris ecclesiae nostrae praepositus, Jordanus Maior (stat magister?), magister Gerlacus, Henricus de Monte, Lubertus dictus Vulpes, Henricus de Hervordia, Joannes de Vos canonici ipsius ecclesiae; Gerardus de Warendorpe, Ludolphus Hake, Henricus de Haren, Bernardus de Wederden, Everardus de Damhusen, Pontianus, Bernardus Blome milites et alii quam plures. Ut autem haec